



24

3/2 83

1773

83

ORDINIS IVRIDICI
 IN
 ACADEMIA VITEMBERGENSI
 DECANVS
 ORDINARIVS ET SENIOR
 ERNESTVS MARTINVS
 CHLADENIVS D
 SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON
 SILIIS AVLAE ET IVSTITIAE DECRETALIVM PROFESSOR
 PVBLICVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAE
 PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSOR
 LECTORI BENEVOLO
 S



STRECKE IN RIBLOI
1800
STRECKE IN RIBLOI
1800
STRECKE IN RIBLOI
1800
STRECKE IN RIBLOI
1800
STRECKE IN RIBLOI
1800
STRECKE IN RIBLOI
1800





MIRE dissentiunt Doctores in decidenda quaestione, coram quo iudice processus prouocatorius ex L. Diffamari sit instituendus. Pars in eam procliuis est sententiam, prouocationem fieri posse coram IUDICE QUOCVNQVE, quamuis intuitu diffamati et diffamantis, imo etiam quoad causam principalem, sit INCOMPE-TENS. In hac quidem classe agunt MEVIVS ^a MENCKENIVS, ^b BERGERVS, ^c LVDOVICI, ^d BEYERVS, ^e GRIBNERVS ^f aliique, qui ab his allegantur. Rationem

a 2

senten-

- a) MEVIVS *Part. 3. Decif. 212.*
b) MENCKENIVS *Proc. Iur. Commun. Diff. Proocem. 2. §. 23.*
c) BERGER *Elect. Proc. Prouoc. thef. 20.*
d) LVDOVICI *Introd. in Proc. Civ. Cap. 5. §. 3.*
e) BEYERVS *Delin. Iur. Civ. sec. Pand. L. 5. Tit. I. pos. 30.*
f) GRIBNERVS *Princip. Proc. Iud. Lib. 2. C. 8. §. 5.*



sententiae alius aliam exponit. Pars uero tutiorem uiam
 inquit, et prouocationem in **FORO PROVOCANTIS** seu
DIFFAMATI fieri debere defendit. Huic nimirum sen-
 tentiae, post alios, accedunt **TITIVS** ^g et **LEYSERVS** ^h,
 quos ideo ex multis nomino, quia non modo accedunt,
 sed etiam dissentientibus grauiter obloquuntur, non sine
 argumentorum pondere. Adderem his **CARPZOVIUM**,
 quem **TITIVS** suae causae testem excitat, nisi suspectum
 esset hoc testimonium. Vacillat enim **CARPZOVIUS**, et
 nunc huic, nunc illi parti fauet. Alio enim loco ⁱ diserte
 docet, concordem esse et usu fori satis probatam interpre-
 tum opinionem, quod ex **L. Diffamari** agi debeat coram
IUDICE DIFFAMATI. Crederes tenacem huius senten-
 tiae fuisse **CARPZOVIUM**. Sed alio loco ^k contrariae sub-
 scribit opinioni. Scribit enim, saepissime accidere, ut dif-
 famatus ad **IUDICIUM PLANE EXTRANEVM**, sub quo
 neuter

g) **TITIVS** *Iur. Priuat. L. 12. C. 14. §. 10.*

h) **LEYSERVS** *Medit. ad Pand. Spec. 87. med. 3.*

i) **CARPZOVIUS** *Proc. Tit. 20. Art. 2. num. 1.*

k) **CARPZOVIUS** *Part. 3. Decif. 213. num. 9. seq.*



neuter litigantium suum fouet domicilium, diffamantem
citari faciat, et AMBIGENDVM VIX ESSE, quin diffamans
ex L. Diffamari prouocatus, in iudicio prorogato
comparere et de ueritate iactationis diffamatum audire
debeat.

IN tanta opinionum uarietate fieri non potuit, quin
controuerteretur, coram quo iudice, si quis CLERICVM
ex L. Diffamari prouocare uelit, res sit agenda, et utrum
in QVOCVNQVE IVDICIO SECVLARI, etiam INCOM-
PETENTE, clericus prouocari possit, an uero hoc in FO-
RO PROVOCANTIS fieri debeat. Scilicet illi, qui pro-
uocationem ex L. Diffamari ad forum prouocantis perti-
nere contendunt, inde concludunt, etiam clericum hoc fo-
rum sequi debere. Isti uero, qui prouocanti libertatem
eligendi iudicem, quemcunque libuerit, permittunt, ni-
hil, aiunt, interesse, utrum prouocetur laicus, an cleri-
cus. WERNHERI¹⁾ est doctrina: clericus etiam ex L.
Diffamari in QVOCVNQVE IVDICIO conueniri potest, et

1) WERNHERVS P. I. Obs. 314.



LVDOVICI ^{m)}: die Prouocation ex L. Diffamari hat allenthalben statt, auch coram indice incompetente. Man siehet auch nicht darauf, ob der Diffamant etwa sonst ein forum privilegiatum habe, als wenn er z. E. ein Bedienter GEISTLICHEN oder Weltlichen Standes wäre, sondern man verfährt wider alle diese auf einerley Art. Imo etiam eo casu, si prouocaturus clericum ipse sit clericus, non dubitatum fuit, prouocationem coram quocunque iudicio seculari fieri posse. Hinc in causa Diffamationis, quae inter DVOS CLERICOS coram Praefecto Rahnisiensi, ineunte hoc seculo, agitata fuit, Iureconsulti Vitembergenses, praetermissa FORI qualitate, in meritis pronunciarunt: dieweil Diffamant der angegebenen Diffamation geständig, darneben aber exceptionem ueritatis vorgeschützet etc. Verba Responsi exhibet BERGERVS ⁿ⁾, qui simul declarat, secundum MEVII doctrinam pronunciatum fuisse.

QUANTVMVIS uero in illo argumento dissideant Doctores, in hoc tamen conspirant omnes, quod clericus, ex
L. Dif.

^{m)} LVDOVICI loc. cit.

ⁿ⁾ BERGERVS Elef. Proc. prou. thes. 21.



L. Diffamari coram iudice seculari prouocatus, fori priuilegio non iuuetur. Verissima quidem est haec sententia, si modo suis limitibus circumscribitur. Sane illa uigorem suum obtinet, si causa principalis, quae prouocandi materiam dedit, est SECULARIS. Sed quid, si causa, per prouocationem in iudicium deducenda, sit ECCLESIASTICA, cuius cognitio non ad iudicium seculare, sed ad forum ecclesiasticum pertinet? Etiam si dubitandum non sit, tunc intercedere priuilegium fori, uaria tamen difficultate hoc quoque argumentum laborat, ob dissensum Iureconsultorum. Alii enim, et fere plurimi, generaliter docent, clerico, ex L. Diffamari prouocato coram iudice seculari, non prodesse priuilegium fori, neque eximunt CAUSAS ECCLESIASTICAS. Alii ita rem eloquuntur, ut nec PRIVILEGIO CAUSAE locum dare uideantur. Ex his nemo clarius mentem suam expressit, quam MEVIUS^o, qui asserit, regulam, quod prouocatus forum prouocantis sequi teneatur, adeo obtinere, ut NULLVM PRIVILEGIVM, QVODCVNQVE ILLVD SIT, ab eo iure eximat.

e) MEVIUS *Part. 3. Decis. 213.*



eximat. Deinde alii agnouerunt, merito qualitatem
 causae diffamationis esse attendendam et, si ECCLESIA-
 STICA sit, eam non ad forum seculare diffamati, sed ad
 iudicium ecclesiasticum pertinere. Agnouit BRUNNE-
 MANNVS ^p, et huius doctrinam sequuntur THOMA-
 SIVS ^q et ITTIGIVS ^r. Agnouerunt et alii. Sed qui in
 hac classe agunt, iterum eunt in partes. Videlicet alii iu-
 dicant, separandum esse iudicium DIFFAMATORIVM a
 iudicio PRINCIPALI, et ex L. Diffamari prouocatum,
 etiamsi causa diffamationis sit ECCLESIASTICA, coram
 iudice diffamati, licet hic SECVLARIS sit, comparere,
 ad prouocationem respondere et iudicis huius sententiam
 expectare teneri, deinde uero CAUSAM PRINCIPALEM
 coram IVDICE ECCLESIASTIGO uentilendam esse. Alii
 uero sentiunt, prouocationem coram diffamati iudice, qui
 in CAUSA PRINCIPALI, ob priuilegium eius, cogno-
 scere

^p) BRUNNEMANNVS *Iur. Eccles. L. 3. C. 1. §. 13.*

^q) THOMASIVS *Diff. de foro competente et subiectione Clericorum
 sub potestate civili C. 3. §. 9. in fine.*

^r) ITTIGIVS *Diff. de Clerici foro seculari Cap. 3. §. 9.*



scere nequit, fieri non posse, sed illam mox deferendam esse ad iudicem, qui intuitu causae principalis competens est, adeoque, si haec sit ECCLESIASTICA, diffamantem prouocandum esse coram IUDICE ECCLESIASTICO. Vnde factum est, ut, si disceptaretur, an is, qui ex L. Diffamari ob CAUSAM MATRIMONIALEM coram iudice diffamati prouocatus est, ope exceptionis fori incompetentis declinare possit iudicium diffamatorium, nunc negatiua, nunc uero affirmatiua obtinuerit sententia. Sic, teste BERGERO^t, Iureconsulti Virembergenes aliquando
ad

1) Huic sententiae praefertim *TITIVS Iur. Priu. Lib. 12. C. 14. §. 11. et 12.* patrocinatur, eamque his rationibus corroborat: *Frustra enim ad agendum quis prouocatur eo in iudicio, in quo agere nequit, aut frustra petitur, ut iudex silentium imponat, id est, auxilium neget ei, quem, si uel maxime uelit, inuare nequit. Sane manifestum est, haec sibi uel contradicere, uel non cohaerere: Volo ut agas, ubi agere nequis, aut: peto ut eius actionem in posteram non recipias, quam, si uel maxime uelis, admittere non potes. Ex quo liquet, quod ille, qui ratione iudicii principalis est incompetentis iudex, etiam ratione prouocatorii talis sit.*

t) BERGERVS *Consil. Iur. Part. 2. Consil. 1120.*



ad interrogationem eius, qui a sponsa ex L. Diffamari coram iudice seculari prouocatus fuit, negatiue responderunt: *Wenn ihr nun gleich der Jurisdiction desjenigen Richters, so die Citation ausgehen lassen, nicht unterworfen. Dennoch aber und dieweil in diesem processu der Diffamant für den Kläger und diffamirte Theil für Beklagten gehalten wird; so möget ihr vor desselben ordentlichen Richter hieninnen zu stehen, euch nicht enibrecken, jedoch wird euch die Citation per subsidium eurer ordentlichen Obrigkeit nicht unbillig insinüret.* V. E. Auf die dritte Frage erachten Wir Rechtens seyn: *Wenn gleich die DIFFAMATION-SACHE vor den Richter des diffamirten Theils gehörig; dennoch aber und dieweil die DIFFAMATION-SACHE von der HAVPT-SACHE abgesondert ist und ihr dem Diffamations-Richter sonst nicht unterworfen; so wird das HAVPTWERK und EHE-SACHE, nach Endigung des erstern, vor dem GEISTLICHEN CONSISTORIO billig getrieben und entschieden.* Contra, teste RIVINO *, Scabini Lipsienfes, prouocationem ex L. Diffamari in CAUSA MATRIMONIA.

* RIVINVS ad Ord. Proc. Sax. Tit. I. Enuc. 29.



MONIALI coram iudice seculari institui non posse, sed exceptioni fori incompetentis locum esse, censuerunt, ideoque in eiusmodi causa, quae coram Praetorio Lipsiensi agitata fuit, pronunciarunt: *daß Beklagte auf die erhobene Prouocation VOR DENENSELBEN sich einzulassen nicht schuldig.*

SCILICET ista Doctorum dissensio effecit, ut mul-
rae lites, nisi inanes, difficiles tamen fierent, et nunchaec,
nunc illa pars, quamuis causae suae iustitia consideret, fe-
lici excideret euentu. Hac quidem difficultate laborant
plures in Germania prouinciae. Laborauit enim Saxonia.
Sed ex quo Serenissimi Legislatoris Saxonis sapientissima
sanctione definitum est ^w: *daß der Processus ex L. Diffamari*
nirgends anders, als vor dem ordentlichen Foro, wo die
HAVPT-SACHE hin geböret, angestellet werden soll,
omnis ista difficultas in his quidem terris euanuit, neque
amplius dubitari potest, prouocationem ex L. Diffamari, si
causa principalis est ECCLESIASTICA, non in foro seculari,
sed coram IUDICIO ECCLESIASTICO esse instituendam.

b 2

DENI-

w) ORD. PROC. SAX. REC. ad Tit. V. §. 6.



DENIQUE praetermittere non possum, etiam in Camera Imperiali hoc obtinere, quod prouocationi ex L. Diffamari, quamuis diffamatus Imperio immediate subfit, locus non detur, nisi CAUSA PRINCIPALIS ad cognitionem illius spectet. Etenim in Ordinatione Camerali * diferte praescriptum est: *Wo aber der Diffamat dem Reich nicht ohne Mittel unterworfen, auch der, oder die Sach, IHRER NATVR NACH, dahin in erster Instanz nicht gehörig, soll auf Anbaltten derselben Partbey an Unsern Kayserlichen Cammer-Gericht wieder den Diffamanten, unangesehen was Obrigkeit derselbe unterworfen, kein Proceß erkannt, sondern die Sach in beyden Punkten, der Diffamation und der HAVPT-SACH, vor die ordentliche Gerichte gewiesen werden.* Quae uero sint illae causae, in quibus Camera, ductu huius legis, licet diffamatus sit Immediatus, processus non decernit, explicat et ad eas expresse CAUSAS MATRIMONIALES refert BLVMIVS?

HAEC

x) ORD. CAMER. P. 2. Tit. 27. §. 2.

y) BLVMIVS in Proc. Camer. Tit. 36. §. 10. Conf. etiam DE LVDOLF de Iure Camer. Sect. I. §. 11.



HAEC quidem praefari libuit, dum Clarissimus Dignissimusque CANDIDATVS, GOTTLIEB WERNSDORFFIVS, Aduocatus immatriculatus et Acadēmiaē nostrae Protonotarius, in cathedram publicam deducendus est, ex qua dissertationem inauguralem, qua disquirit: *An exceptiones tempore periturae in processu executiuo per remedium prouocatorium ex L. si contendat in iudicium deduci possint*, sine praeside defendet. Quo uitae initio, quamque felici eius progressu usus fuerit, ipse deseripit hunc in modum:

Quamuis recte Vlisses apud Ouidium

*Et genus et proauos, et quae non fecimus ipsi
Vix ea nostra*

putet; merito tamen inter immortalis Dei beneficia referri debet, si quis natus sit honesto genere, et in ipsis maiorum imaginibus, quos imitetur, habeat. Hanc felicitatem mihi etiam contigisse laetor. Nam originem debeo parentibus optimis, quos adhuc viuos immortalī pietate veneror, GOTTLIEB WERNSDORFFIO, apud Gedanenses in illustri Athenaeo, Eloquentiae ac Poëfos Professore publico, et IOANNAE ELISABETHAE GOTTLIEB ex gente VERPOORTENNIORVM, Gedani A. p. C. n. MDCCXLVII. d. X. Aprilis in lucem editus. Ab utrisque parentibus primā cum litterarum rudimenta accepissem,

b 3

scholae



*scholae publicae, cui BARTHOLDI praeerat, traditus, domi ab ipso
 patre iis studiis, quae puerilis animus capere poterat, imbutus sum.
 Cum autem in schola, ob magnum discipulorum numerum, parum pro-
 ficerem, inter priuatos parietes praecceptores nactus sum OLERTVM,
 postea in Gymnasio Elbingensi Eloquentiae Professore, nunc autem
 apud Diensdorfienses, in insula Marieburgensi, verbi diuini ministrum,
 et SEBASTIANVM FEDEROWICZ, tunc scholae tertiae, in Gym-
 nasio patrio praefectum, nunc autem apud Ramwelschenfes ecclesiasten.
 Hi una cum patre, cuius singularia in me studia nunquam satis lau-
 dare possum, mihi et religionis principia, et linguam latinam graecam-
 que exposuere. Prudenter autem pater, cum iuuenes multos latinam
 linguam doceret, iisdem me assidere iussit, ita, ut usu magis discerem,
 quam Cellario conterendo, memoriam fatigarem. Anno aetatis duo-
 decimo in numerum ciuium Athenaei receptus, per sex annos praeter
 patrem reliquos celeberrimos Professores, in Theologia b. BERTLIN-
 GIVM, atque per aliquod tempus LESSIVM, iam in incluta Aca-
 demia Goettingensi, Theologiae Professore, in iure atque Historia
 PAVLIVM, eoque Wittebergam euocato, GRALATHVM, in Physicis
 SENDELIVM, in Mathefi b. KÜHNIVM, in Philosophia HANO-
 VIVM, denique in lingua Graeca GRODECKIIVM audiui, quorum
 omnium ac singulorum, in me beneuolentiam et merita grato animo ve-
 neror. Inprimis autem Iurisprudentiae operam dare coepi, claris
 atatorum GREGORII NITSCHII, qui Serenissimo Episcopo Lube-
 censi a Consiliis intimis quondam fuit, et BURCARDI RÖESLERI
 Serenissimi Ducis Saxo Coburgensis Cancellarii, nominibus excitatus,
 quanquam*



quanquam reliquorum fere omnium agnatorum cognatorumque, et in-
primis utriusque aui GOTTLIEB WERNSDORFFII, et ALBERTI
MENONIS VERPOORTENII in sanctioribus litteris non sine laude
olim occupatorum, deerant exempla. Itaque hortante patre, post-
quam praeside GRALATHO I. V. D. eiusdemque et Historiarum Pro-
fessore publico, Dissertationem de Iure Culmenfi in materia de con-
tractibus ex iure Romano emendato, a me conscriptam publice
defendissem, Gymnasio valedixi, atque A. MDCCCLXV. in hanc
inclutam Musarum sedem, quae et avum meum honoribus ornavit, et
patrem aliquamdiu sustentavit, veni, eodem fuscis academicas tenente,
Viro Magnifico atque Illustri, GEORGIO FRIDERICO KRAVSIO
quo iterum Rectore Magnifico summos in iure honores petii: A quo
etiam, ut veteris amici, et quondam in Gymnasio Gedanensi Collegae,
filius, benevole exceptus sum, iam vndeuginti ante annos, a Viro
Magnifico ac Summe Reuerendo, WEICKHMANNO, cuius quamplu-
rima in me merita grata mente praedico, inter Academiae ciues rela-
tus. Huc igitur me profectum, ERNESTVS FRIDERICVS WERN-
SDORFFIVS, patrius Summe Venerabilis, cuius multa in me agnosco
beneficia, liberali hospitio exceptit, vitam iucundam quovis modo red-
dere studens. Inde ab eo tempore me totum iurisprudentiae consecraui,
non neglectis tamen reliquis, quae ad humanitatem pertinent, discipli-
nis. Sedulo igitur non solum audiui celeberrimos in hac Academia
Iuris Antecessores, Magnificos, Illustres ac Iureconsultissimos, CHLA-
DENIVM ius canonicum ex Schiltero, et publicum ex Capitulatione
Imuclissimi Imp. Iosephi explicantem, et auditores in excerpendis Ac-
tis



tis iudicialibus, sententiisque concipiendis exercentem, KRAVSIVM Pandectas enarrantem, easque examinando et disputando in succum sanguinemque vertentem, PAVLIVM, ius criminale ex Gaertnero exponentem, FISCHERVM prima Iurisprudentiae elementa ad ordinem Institutionum, et modum procedendi in iudiciis tradentem, WIESANDIVM Institutiones interpretantem, et Struuii Iurisprudentiam Rom. Germanicam, eundem etiam in Digesta commentantem, KLÜGELIVM iuniorem, methodum, qua causae in iudicio perorantur, et actorum contenta referuntur, sententiaeque concipiuntur, tradentem, HOMMELIVM denique τα πρωτα Pandectarum explicantem: sed etiam in historia tum catholica, et Imperii Romano Germanici, tum iuris Romani, ut etiam in Ethica, iure naturae, et iis, quae ad cognitionem rerum publicarum pertinent, praeceptore usus sum Ill. RITTERO, in arte disputandi Cel. TITIO, et in stylo limando exercendoque Celeberrimo HILLERO, qui ut per quadriennium fere erudiendo in honestissimis disciplinis, ita aliis beneficiis me sibi omnes quoque deuinxerunt. Eodem tempore GEYSERO etiam Graecos scriptores enarranti, qui iam in Gymnasio Reualensi Theologiam proficetur, operam dedi, saepius in publicis certaminibus opponentis provincia functus sum, atque a KLVGIO iam in schola Asrana Diacono, de membris humanis apud Poetas affectuum loco positus, disputante, respondentis partes oblatas suscepi. Cum autem alios docendo nos ipsos discere a peritissimo quouis audiuissem: consilium coepi, ea, quae didiceram, aliis tradendi, atque causis orandis inseruendi. Subii igitur A. CIÖCICCLXIX. die XVIII. Maii, Examen, quod pro Candidatura et Praxi vocant,

cum



cum d. v. Maii eiusdem anni Dissertationem de iure Codicillorum, praeside Consultissimo PAVLIO publice defendissem, ut potestas lectio-
num habendarum, et causas in foro perorandi fieret. Scholis post
apertis, Historiam iuris Romani, bis Bachio, semel Schorchio duce
usus, tradidi, et Institutiones Imperatoris Iustiniani explicaui, nec non
quosdam Pandectarum libros interpretatus sum. Eodem fere tempore
a Serenissimi Electoris Saxoniae Regimine, in numerum Aduocatorum
receptus, causarum, quae ad me deferebantur, patrocinium suscepi,
et cum iuris Theoria praxin iungere coepi, praesertim cum munificen-
tia Serenissimi Saxoniae Electoris, factum esset, ut stipendio electorali
maiori ad diligentiam maiorem excitarer. Cum vero singulari inpri-
mis amore antiquitates Romanas colerem, in hoc litterarum genere
duas breues Commentationes, de capitis poena et sectione ad L.
XII. Tab. qua optimo Auunculo PAVLIO GVILIELMO VERPOOR-
TENNIO in Athenaeo Patrio, munus Rectoris, atque Professoris
Theologiae, gratulatus sum, et de Materia XII. Tab. ad locum
Pomponii, qua Consultissimo PAVLIO, optime de me merito, in
eius nuptiis meam obseruantiam probaui, edidi. Tali per aliquot an-
nos vita peracta, et a Serenissimi Electoris Sandiore Senatu facultate
impetrata, post acceptum Doctoris gradum, causas coram summe Ve-
nerabili Consistorio, quod Wittebergae est, orandi, mihi nihil tale opi-
nantii, noua accessit felicitas. Anno enim CIOICCLXXII. Illustrissimus
ac Excellentissimus Dominus, DN. LEOPOLDVS NICOLAVS LI-
BER BARO AB ENDE, Serenissimi Principis nostri Primarius Stu-
tus Administer, et Ordinis S. Henrici primae classis Eques et Cancellarius



rius, Dynasta in Altjesnitz, Trinum, Roitzsch cet. me comitem studiorum Perillustris eius filii, DITERICI CAROLI LEOPOLDI LIBERI BARONIS AB ENDE, quem in hanc Academiam miserat, esse perbeneuole iussit, de qua singulari in me gratia eo magis factor, quo iucundius mihi est consortium Perillustris Liberi Baronis, Illustrissimorum Maiorum et Parentum ingentes virtutes, uti par est, inuentis. Paulo post incluta haec Academia, me in locum Protonotarii Grebellii surrogauit, ex quo munere, quod me celeberrimis huius Academiae Patribus ac Doctoribus magis iunxit, magnum percipio gaudium. Sic igitur praeparatus, summos in utroque iure honores ambire coepi, meoque qualescunque profectus Praeceptoribus optimis, in examine, quod rigorosum vocant, probaui, ita ut ad hunc honoris gradum rite capessendum nihil desit, quam ut in solempni Panegyri Dissertationem inauguralem defendam, quod propediem, adiuuante Deo ex consensu Illustris Iureconsultorum Facultatis faciam, sine Praeside commentationem de Remedio ex L. si contendat in processu executiuo, defensus, cum Serenissimus Saxoniae Elector, Fridericus Augustus, illa lege, quae omnes in hac Academia prima vice cathedram conscendentes, certaminis arbitrum adhibere iubet, me pergratiose soluere haud indignatus sit.

Quia autem in eiusmodi, qualem pro more academico scribo, biographiis, non solum studiorum ratio exponenda est, sed gratus etiam animus testandus iis, qui variis nos affecerunt beneficiis, praeter eos Mecenates, Patronosque, quorum in me merita iam supra grato animo praedicaui, silentio praeterire nefas est, reliquos etiam almae huius
Acade-

Academiae Professores, qui saepius data occasione propensam in me voluntatem testati sunt, et nepoti non ingrati apud eos patris auique memoriam esse, declarauerunt. Sed eorum catalogum texere superfluum esset, cum eorum magna nomina ad omne aeuum sint duratura. Inter reliquos autem huius ciuitatis proceres ob suam in me benevolentiam laudandi sunt Ill. HASIUS, Electori Sax. a Consiliis Commissionum et Praefectus Circuli Electoralis, et Consultissimus KLÜGELIUS Ciuitatis huius Syndicus. Haud minora autem, quam reliqui Patroni, in me contulere beneficia, ii, quos ob commune etiam natale solum vehementer colo, Inclutae Reip. patriae Gedanensis Proceres, et inter eos imprimis, Viri Perillustres, Magnifici atque Generosi GOTTLIEB GABRIEL WEICKHMANN, Ciuitatis Praeconsul, IOANNES FREDERICVS SCHVMANN, ANTONIVS a WAESBERGHE, Consules et reliqui in Amplissimis Consulibus Scabinorumque Collegiis, ut et omnes Sacelli S. Mariae Antistes, quorum omnium singulorumque in me beneficia, grata, quoad viam, semper recolam memoria.

Cum igitur Dignissimum CANDIDATVM nostrum tum Gentis amplissimae merita, tum etiam propria ornamenta commendent, quibus hoc elogium addo, quod uirtutem ingenii et copiam doctrinae Ordini Iuridico abunde comprobauerit, merito Ipsi decreuimus summos in iure honores, qui mox Ei conferentur, post editum specimen inaugurale. Huic actui solenni proximus dies Lunae, qui est



est XI. Octobris, dictus est. Ut igitur RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, ACADEMIAE PROCERES atque FAVTORES, temque GENEROSISSIMI ET NOBILISSIMI CIVES, hanc celebritatem honorifico conspectu suo splendidiorem efficiant, Ordinis mei nomine, ea, qua par est, obseruantia rogo. P. P. Domin. xviii. post Fest. SS. Trinit. A. R. S. MDCCLXXIII.



Wittenberg, Diss., 1770-73

X 228 32 35

Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



24
3, 2 83
1773 1
83

ORDINIS IVRIDICI
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
DECANVS
ORDINARIVS ET SENIOR
ERNESTVS MARTINVS
CHLADENIVS D
SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CON
SILIIS AVLAE ET IVSTITIAE DECRETALIVM PROFESSOR
PVBLICVS CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTOR CVRIAE
PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S